

**Partis II. Illustriorum Jesaiæ Locorum Dissertatio XVII. De Speculatore, Jussu Dei à Jesaia Constituto, Ac Leone Ab Eodem Inter Alia Viso & Proclamato : Ex Jesai. XXI. v. 6.8.9.**

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1702]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003435637>

Druck Freier  Zugang




RU theol. 1702

Habichhorst, Andr. Dan.

*lc*







PARTIS II.  
ILLUSTRIORUM JESAIÆ LOCORUM  
DISSERTATIO XVII. 369

De  
**SPECULATORE,**  
JUSSU DEI à JESAIA  
CONSTITUTO,

AC  
**LEONE**  
AB EODEM INTER ALIA  
**VISO & PROCLAMATO,**  
Ex JESAI. XXI. v. 6. 8. 9.

Qvam  
Auxiliante DEO - Homine & R. FCte Theol. annuente,  
SUB PRÆSIDIO

**D. ANDREÆ DANIELIS  
HABICHHORSTII,**

S. Th. PP. & Consiliarii Consistorialis, uti & FCris Theol. Colle-  
giique Ducalis & totius Acad. Senioris,

*ad d. 21. Octob. A. 1702. in Audit. Majori*

*oratoriæ Academicæ exponit*

**MARTINUS MEINELVUS,**

Primislav. Marchicus.

ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampl. Sen. Typogr.



Lectissimæ  
VIRO RUM PLURIMUM REVERENDORUM  
& CLARISSIMORUM  
TRIGÆ:

DN. CHRISTOPHORO  
MEINELVO,

Ecclesiæ Dedeloviensis & vicinarum, in Dicecesi Primislaviensi,  
Pastori longè fidelissimo meritissimoque,  
Parenti meo omni filiali cultu jugiter excipiendo:

DN. CHRISTIANO  
SCHULZIO,

Mysteriorum Divinorum apud Wetznowiensis vicinosque in  
eodem Districtu Dispensatori dexterrimo æsumatissimoque,

DN. MATTH. OTTONI  
LEVZOVIO,

Verbi Divini in Ecclesia Sagoviensi & vicinis ejusdem circuli Præ-  
coni facundissimo vigilantissimoque,

Affinibus meis conjunctissimis indeque sin-  
gulari honoris mihi cultu prosequendis,

DISSERTATIONEM HANC EXEGETICAM,

*in obsequii, gratitudinis & amoris testimonium,  
cum ardentissimo perpetua felicitatis voto,*

*obsequiosè dico offeroque*

MART. MEINELVUS, Resp.

De  
 Speculatore, jussu DEI à Jesaia in Massa deserti maris  
 constituto, & Leone ab eodem inter alia viso  
 & proclamato.



DISP.  
 XVII.

**D**E *objeto* primæ capitis XXI. prophetiæ, nempe *deserto maris*, nuper disse-  
 ruimus, per illudque non Babelem, sed  
 Jhudæam & Jeruschalem designari o-  
 stendimus; qvanquam prolixius pau-  
 lò, qvàm quidem initio institueramus;  
 qvòd tamen cum ad illustrationem i-  
 psius Prophetiæ non parum faciat,  
 operæ dispendiũ non esse putamus. Nunc v. ex ipsius Prophe-  
 tiæ contentis nõnulla etiam considerare placebit. Qvòd verò  
 ipsa hæc Prophetia de *deserto maris*, qvatuor momenta conti-  
 neat, ex analysi prophetiæ hujus, qvam in præmio præce-  
 daneæ dissertationis præmisimus, constabit. Ex his qvatuor  
 ipsius prophetiæ momentis (qvæ decimo tandem versu, qvò  
*epilogum* qvendam epiphonematicum sistit, clauduntur) *tria*  
 simul priora cum epilogo in præcedenti dissertatione occasi-  
 onaliter exposuimus. Jam verò *quartum* etiam momentum,  
 scilicet *speculatoris constitutionem jussu DEI à Jesaia factam*, e-  
 jusque *visa, observata, proclamata, & audita*, cum de illis pluri-  
 mi Interpretes minus rectè sentiant, præcipuè *Leonem* ab eo-  
 dem proclamatum ex v. 6. 8. & 9. expendemus. Faxit DEUS,  
 ut *sensum loci* rectè assequamur & *usum piè* observemus!

§. 2. De voce *speculatoris*, ut prolixè initio agamus,  
 qvòd cœteròqvi in aliis fieri disputationibus solet, non adeo  
 necessum esse putamus: neque in Exegeticis dissertati-  
 onibus id observare solemus. Pauca tamen hac vice, ut obje-

T t Etum



Etum dissertationis paulò clarius fiat, præmitteremus. Notum vero est, quod *Speculator* à nomine *specula* & verbo *speculari* originem trahat; Hebræum verò nomen participiale מַצְפֵּה descendit à Rad. צַפֵּה *speculatus est*, &c. cujus cognatum, per transpositionem literarum, est פָּצַח i. e. *os aperuit*: nam speculator non tantum oculos sed & os aperire & clamare debet, ubi aliquid viderit indicandum, ceu ex dicendis constabit. Derivata sunt צַפֵּה & מַצְפֵּה *specula*, quorum prius v. 5. posterius v. 8. hujus capituli legitur, item צַפֵּה *specula* Thren. 4. 17. & מִצְפֵּה Mizpa quod speculatio & nomen loci Gen. 31. 49. uti & civitatis Gilead, quam pertransibat Jiphtach contra Ammonitas pugnaturus, ubi & votum illud famigeratum volebat, Jud. 11. 29. 30. *Specula* verò proprie locus est editus atque eminens ut *arx*, ceu colligitur ex verbis Chabacuki c. 2. 1. vel *turris* 2. Reg. 9. 17. vel *tectum porta civitatis* 2. Sam. 18. 24. ex quo conspici uno potest intuitu atque adeò explorari, quicquid prope & procul agitur. *Speculari* verò & צַפֵּה est fixis aliquid oculis aspicere, diligenter observare & considerare, item patienter & cum spe ac fiducia aliquid expectare. Chabak. 2. 1. Psalm. 5. 4. Mich. 7. 7. Unde *speculator proprie* est ille, qui constituitur in specula s. editiori loco, præsertim temporibus periculosis, cum bellum metuitur vel ortum jam est, ut circumspiciat, exploret ac indicet, quæ prope vel procul aguntur, vid. 1 Sam. 14. 16. cap. 18. 24. 2 Reg. 9. 17. Ezech. 33. 2. 6. Deinde & *mataphoricè* speculatores vocantur Prophetæ, Doctores & Pastores Ecclesiæ Ezech. 3. 17. c. 33. 7. quorum & speculator h. l. jussu divino à Jesaia constitutus refertur.

§. 3. Circa illam *speculatoris constitutionem* duo hinc capita occurrere consideranda, in analysi prophetiæ, quam præcedenti Disputationis præfamen exhibuit, fuit relat-  
tum.

tum. Nempe (1) *dictum Domini* ad Prophetam de speculatore constituendo v. 6. (2) *factum ipsius speculatoris*, in specula constituti v. 7. 8. 9. Dixi porro in præfamine illo, quod Speculator hic describatur 1. ut *videns* multitudinem curruum & hostium 2. ut *attendens & audiens* cum *Leonem* clamantem v. 8. tum quoque *nuncium* dicentem: *Cecidit, cecidit Babel*. Dixi hæc per vestigia quorundam Interpretum, præcipue *B. Seb. Smidii*, ductus. Nunc verò per cogitationes has posteriores, quæ prioribus esse plurimum sapientiores solent, nonnulla quæ in illo præfamine de *facto speculatoris* dixi, præcipue, quoad *Leonem* illum *clamantem* emendabo. Eruditi enim re curatius pensitata, nonnunquam animum mutant & sententiam priori veriore amplectuntur.

§. 4. Ad I. caput circa *speculatoris constitutionem* hic attendendum; quod attinet, nempe *dictum Domini* ad Jesaiam de speculatore constituendo, verba de illo *Domini dicto* in fonte sic habent: כִּי כֹה אָמַר אֲלֵי אֲדָנָי יְהוִה רַךְ הָעֵמֶר הַמְצַפֶּה אֶת־יָדָי: i. e. *quia sic dixit ad me Dominus: constitue speculatorem, quod viderit, annuntiabit*. Hic quæritur, *quis speculator*, & *quidem* (a) *an ipse Jesaias speculator hic fuerit?* Respondet *Sanctius* in Comm. h. l. p. 214. *Speculator communiter Esaias putatur, & inter alios pro hac sententia Hieronymum adducit, quasi Deus ad Prophetam nostrum diceret: abitu & esto speculator, ut videas & audias, quid ego sem locuturus vel ostensurus*. Hieronymus verò in Comment. super Jesaiam & quidem lib. 7. Commentariorum p. 82. ad hæc verba ita scribit: *jubetur Prophetam ponere in corde suo speculatorem & diligentius intueri, quæ ventura sunt mundo; quanquam præcedente lib. 5. commentar. in Jesai: p. 56. fin. aliter sentire videtur, dum verba DEI ad Prophetam ita exponit: constitue speculatorem, ut Spiritu prophetali futura tibi præ-*

ciet, quem cum posuissem in speculam, vidit &c. Sed post pauca, & quidem p. seq. 57. in priorem relabitur sententiam, dum ita pergit: *Et speculator ille clamavit quasi leo: sive ipse Prophetam appellatur leo. Et quia dubium erat de persona speculatoris, qui viderat ascensorem, ipse exponit manifestius* (scil. v. 8.) *Et ait, super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem, speculatorem se Domini esse pronuncians &c.* Nec abnuit Sanctius ibidem ita scribens: *quod si Prophetam speculatorem faciamus, de se ipso quasi de tertia loquitur persona: porro, inquit, speculatoris nomen non hic salum datum est Prophetis.* Cœterum non sequitur: *Speculatoris nomen datum est Prophetis, ergo Jesaias hîc est speculator jussu DEI constitutus & non alius.* Si quidem & expressa loci hujus verba sententiæ illi palam reclamant: Non enim Dominus ad Prophetam notitrum dicit: *לך עמר על מצפה* i. e. *abi & sta super speculam, אשר תראה הנר* i. e. *quicquid videris indica; sed ait: לך העמר המצפה* i. e. *abi & fac stare* (h. l. constitue) *Speculatorem, אשר ייראה הנר* i. e. *quicquid viderit indices.* Ergo speculator non est ipse Jesaias, sed alius à Jesaia ad hanc speculationem ordinatus. Nihilominus tamen etiam *Corn. à Lap. p. 212.* Jesaiam dicit speculatorem. Ad dubium Hieronymi, *quod Prophetam v. 8. manifestius exponat, se ipsum esse speculatorem, infra §. 7. respondetur.* Quæritur ergo (β) si speculator hic non est Jesaias, *quis ergo?* Respond. Ex caractere speculatoris colligendū quidē est, fuisse Prophetam quendam: quomodo ad *Ezechielem* dicitur: *fili hominis, speculatorem te dedi, Ezech. 3. 17. c. 33. 7. imo & Prophetam Cbabakuk speculatorem se dicit super custodiam suam stantem c. 2. 1. & suffragatur Junius in notis, ubi inquit: Prophetam, ut amplius confirmaretur de pronunciatō Massa, jussum adhibere testem, alterum nimirum Prophetam aliquem ex discipulis suis, qui res à se visas sive à DEO revelatas*  
ad

ad Prophetam vel ad populum referat. At verò ipsum nominare individuum non licebit. Sunt tamen qui nominant: & quidem ex Hebræis veteribus, qui *speculatorem* hunc & *Leonem*, cujus seqv. v. 8. mentio habetur, eundem esse putarunt, per *speculatorem* & *Leonem* hunc intelligunt Prophetam *Chabaccucum*, dicuntque jussum esse Jesaiam, illum in specula collocare. Argumentum sumunt ex Gematria, Cabbalæ specie, qua vocabulum  $\text{נריה}$  quod *Leonem* significat, totidem numeros, quot nomen Chabakuki Ebræum  $\text{חבקוק}$ , valet. Utrumque enim numerum 216. habet. Nam in  $\text{נריה}$  litera  $\text{נ}$  notat 1.  $\text{ר}$  200.  $\text{י}$  10.  $\text{ה}$  5. quarum summa facit 216. Pariter & in  $\text{חבקוק}$  litera  $\text{ח}$  notat 8.  $\text{ב}$  2.  $\text{ק}$  100. & alterum  $\text{ק}$  100.  $\text{ו}$  6. sunt itidem 216. Licet verò exemplum illud Gematriæ quoad parallelismum Arithmeticum satis sit curatum; argumentum tamen inde petitum ineptitudine suâ laborat. Majorem verò sententiæ fidem conciliaffent (ex mente illorum, qui Massa hoc Babylonicum statuunt) si dixissent Massa hoc esse breviarium prophetiæ Chabakuki, vel parallelismum dari hujus Massa & Prophetiæ Chabakuki: nempe (1) in titulo Massa; nam & Chabakuk prophetiam suam cum titulo Massa incepit. (2) in specula & appellatione ad DEum: conf. c. 2. 1. 2. & Jesai. in Massa nostro v. 6. 8. (3) in sympathy prophetica, conf. cap. 3. 16. & Jesai. in hoc Massa v. 3. 4. Cæterum hypothesis harum sententiarum, quod speculator hic & leo sint idem, infra §. 7. falsa esse ostendetur.

§. 5. A dicto Domini progredimur II. ad factum Speculatoris, voce generalius sumtâ & respectu habito ad præcedens Domini dictum. In proœmio præcedanæ Dissertationis dixi, quod factum Speculatoris consistat in *visione* & *attentione*. Nunc verò factum Speculatoris amplius & rectius expono, statuoque ipsum in *gemina* quasi *revelatione* seu

visione præsentari; in priori revelationis parte, quæ respicit *Babylonium ut vastatorem*, cum auxiliaribus Medorum Persarumq; copiis Jeruschalem devastaturum, idem præsentatur non tantum ut *videns* v. 7. sed & 2. ut *attendens* attentione multâ ibid. imò 3. ut *clamans* adesse Leonem v. 8 & tandem 4. ut *prorestans* de constanti sua statione & vigilantia in specula ibid. In posteriori particula revelationis, quæ *Babylonium* eundem ut *casurum* rursusque à Persis Medisque *vastandum* respicit, idem speculator præsentatur denuo 1. ut *videns* 2. ut *audiens* v. 9. quæ omnia paucis erunt illustranda. De primo Speculatoris *facto* seu *viso*, quod describitur v. 7. & quo juxta versionem LXX. & Vulgati putatur vidisse *currum duorum equitum, ascensorem asini & ascensorem cameli*, sequenti dissertatione speciatim agemus. Hac vice tantum sequentia illustrabimus. *Secundum e.* Speculatoris *factum* in priori revelationis parte (quæ *Babylonium* respicit ut vastatorem) consistit in *attentione curatissima*, quod volunt verba v. 7. והקשיב קשב ור כשב i. e. *Et attendit attentione, multâ attentione*, quo ipso significatur officium speculatoris non absolvi dicta *visione*, contemplatione, sed requiri præterea diligentissimam & accuratissimam *attentionem & auscultationem*. Siquidem & noxter Speculator fuit diurnus & nocturnus juxta v. 8. unde partes officii speculatoris confundunt, qui ita vertunt: *ille cum contemplatus esset contemplatione multa & diligenti, vidit per equitum.*

§. 6. Sequitur *tertium* speculatoris *factum* hic addendum, adeoque ostendendum, quod ille *clamando* etiam officium peregerit, de quo in fonte: ויקרא אריה i. e. *Et clamavit, leo*: quæ verba valde sunt controversa. Quæritur enim quis *subjectum clamans*, utrum leo; an verò *Speculator* idem, qui in præced. *vidit & attendit*? In præmio præcedenæ disputationis

nis

nis vestigia multorum legens, affirmavi prius & *Leonem* dixi *clamantem*, speculatorem verò audientem; jam verò cohærentiâ rectius considerata inverteo responsionem statuoque *subjectum clamans* dicendum esse non Leonem, sed Speculatorem; *objectum* v. speculatoris esse *Leonem*, q. d. *Clamavit*, scilicet idem speculator, qui præced. v. 7. *vidisse & attendisse attentione multa* perhibetur: *is ipse clamavit* inquam, sed quid? clamavit *Leo* scil. adest, vel *Leonem* scil. video, q. d. hostis rugiens & crudelis ex deserto adveniens mihi videndus objicitur. Tales verò verborum quoque Ellipses in scripturis esse frequentes, *Glassius* in Phil. Sacr. docet l. 3. Tr. 3. can. 56. Sic 2. Sam. 18. 12. *observeate*, *וּבְנֵי* i. e. *quis in puerum* (Abfalonem) scilicet incurrat sive manum mittat, & 2. Sam. 23. 17. *an sanguinem istorum hominum, qui iniverunt periculum vite sue?* scil. bibam. Psal. 121. 7. *Ego pacem* (scil. colo) *illi ad bellum* (scil. prouunt, procedunt) Similiter in hoc ipso Massa præced. v. 5. statuimus ellipsin verborum *video & audio* q. d. Propheta (qui prævidebat Jhudæorum à Babylo- nio vastandorum securitatem & impietatem) *video* dispo- nere mensam &c. *audio* conclamantes: ungit principes &c. conf. præced. disput. §. 9. p. 283. in med. Quod vero non *Leo* sed *Speculator* sit *subjectum* clamoris sive *clamans*, probare non licet ex accentu distinctivo Tipcha, sub voce *וַיִּקְרָא* & *clama- vit*, qui aliàs distinctiunculam faceret in voce *clamavit* h. m & *clamavit*, *Leo*: siquidem in tali positu vel territoriolo duarum vocum ante Atnach, vel inter Atnach & Silluk, vel inter Sakephkaton & Arnach & Silluk, necessitate sequelæ & proportionis sèper requiritur Rex Tipcha, per le tunc nec distin- ctionem nec conjunctionem de signans; quamvis tamen em- phasin aliquam importet. Sic Jonæ 2. v. 2. in positu duarum vo- cum: *וּמִעַי חַרְגָה* i. e. *ex visceribus piscis*, propter necessitatem sequer-

sequelæ inter accentus Atnach & Silluk reperitur Tipcha in voce כמעי i. e. *ex visceribus*, quæ constructa maximèq; adeo cum seqv. הרגה *piscis* conjuncta, minimèq; distingvenda; emphasis tamen subest, h. l. & oravit Jonas ad DEum suum, *ex visceribus*, visceribus inquam *piscis*; quasi per illum accentum Tipcha lectionem paulisper sistere jubeamur & cogitare quæ lectionem fuerit Jonæ oratorium. Ita & h. l. licet Tipcha in יקרא i. e. *clamavit*, ex se non distingvat, ceu dictum, emphasin tamen quandam insinuat q. d. *Clamavit*, clamavit inquam horrore quodam correptus, Leonem, scilicet video. Adeoque per hanc sequelæ necessitatem, accentus nec Leoni clamanti obstat, nec speculatorem probat clamantem.

§. 7. Probamus tamen, non Leonem sed *Speculatorem* hic esse *clamantem*, ex *coherentia textus* & commoditate sensus. Uti enim præcedentia vers. septimi prædicata ac verba וראו & vidit, item והקשיב & attendit, sine explicito ponuntur subjecto, & tamen ad subjectum præcedentis versus texti explicitum, nempe ad המצפה i. e. *speculatorem*, à Jesaia jussu DEI constitutum, respiciunt: ita & prædicatum hujus immediatè subsequens versus 8. יקרא & clamavit, non nisi ad idem subjectum versu 6. expressum respicere rectius colligitur. Sensus ergo per v. 6. 7. & 8. coherens commode sic fluit: Speculator à Jesaia constitutus, ut indicet quæ in specula viderit, renunciat initio confusè, se videre currus; mox verò propius attendens vidit quosdam currus ab equis, alios ab asinis & camelis tractos, deniq; curatius paulò attendens, vidit quoque Leonem turmas ducentem, quem & mox proclamavit. Nec ulla est ratio sufficiens, cur subjectū clamans cum aliis dicamus *Leonem* vel Prophetam, imò ut speculatorem esse Leonem statuamus cum Hieronymo, cujus verba præced. §. 3. citavimus. Ad rationem v. B. Seb. Smidii, in com-

comment. super Jesai. h. l. p. 183. pro leone clamante & speculatore, illius clamorem audiente, à *cobarentia* petitam & his propositam verbis: *Cobarentia* *poscit* (ut statuamus speculatorem audisse leonem clamantem) *nam v. 7. dictum est, quod speculator diligenter attenderit* (auscultaverit) *nec dictum est, quid audiverit* (ceum dictum est, quid viderit) *ut necessarium hinc sequatur, audivisse Leonem hic clamantem*: respondeamus invertendo potius illam rationem à *cobarentia* petitam pro nobis, uti ex jamjam dictis constat; prætereaque dicendo, sufficere quod speculator noster in altera revelationis particula nempe v. 9. audiverit vocem responsi cœlestis de casu Babelis, eamque retulerit: Vid. infra §. 12.

§. 8. Probato igitur, non leonem, sed speculatorem ipsum esse clamantem (quod paulò antè narratur *vidisse & attendisse*) notandus meritò est *Vulgatus*, qui v. 8. reddit: *Et clamavit Leo*, quem Lutherus sequitur: und ein Löwe rief: *HERR/ich stehe auff der Warte*. Notandus quoque est *Sanctius*, qui cum Aben Esra, Tremellio & aliis in voce *ליון* s. *Leo*, subaudit notam *similitudinis* *ſicut*, q. d. & clamavit speculator *sicut Leo* rugiens. Ellipsin enim præter necessitatem fingere non licet, præsertim cum sensus verborum sine ellipsi commodè satis, uti h. l. fluit. Denique notandus quàm maximè est *Vatablus*, qui quidem rectius quàm alii leonem non fecit subjectum clamans sed objectum clamantis; veruntamen non attento accentu Atnacho, maximè vocem *ליון* i. e. *Leo*, à sequentibus distingvente, in voce sequente *מצפה* i. e. *specula*, (quæ accentum conjunctivum Munach habet) sensum sistit h. m. *Et clamavit: Leo super speculam*, q. d. *video leonem in loco eminenti stantem, qui aspicit, ut pradam capiat*; prout ipse

U u

Vata-



Vatablus verba hæc in notis ad Biblia exposuit. Hoc verò est claros Israël's fontes turbare, vel, uti *B. Varenius* hîc loquitur, Babel in fontes Israël's introducere. Rectius v. Luther<sup>9</sup> in voce *Leo* sensû sistit. Quid? quod specula non est Leonis, sed speculatoris v. 6. constituti. Nec specula hîc topica est fingenda, quæ in eminentia vel portæ vel turris dari solet, de qua jam supra §. 2. dictum; sed specula est prophetica, uti & *Custodia*, cujus & eodem v. 8. mentionem speculator habet. Conf. Chabak. 2. v. 1. & Ezech. 3. 17. c. 33. 7. Taceamus *Vulgatum* quoque à fonte hîc in eo aberrare, licet sensui hîc non multum noceat, quod vocem מצפה in regimine cum seqv. DEI nomine מרני posuit, h. m. *super speculam Domini ego sto*; cum tamen מצפה non habeat *Isere*, signum regiminis ante sed *Segol*, punctum vocis absolutæ. Quapropter ejus hîc est clamor, qui constitutus fuit in specula ut videret, ut attenderet, ut nunciaret. Consentit *B. Varenius*. Cæterum de speculatore sic clamante, & versionibus, circa Leonem hîc clamantem à fonte & cohærentia hîc ab errantibus, sic satis.

§. 9. Si quis verò quæsierit, quis *Leo* ille, qui speculatoris sic clamantis objectum fuit, quemque speculator proclamavit? huic respondere quidem Interpretes tam Hebræi, quàm Christiani sunt parati, dicendo per *Leonem* hîc *Persarum Medorumque* exercitum repræsentari; quam *B. Seb. Smidius* existimat, per Leonem commodius ipsum horummet exercituum *Ducem* intelligi, sive *Darium* volueris sive *Cyrum*: duos enim tanquam unum fuisse, inquit ille. Nos verò non immeritò ab hac etiam responsione dissentimus, illamque falsâ niti hac hypothese dicimus, qua objectum hujus *Massa*, nempe *desertum maris* statuitur *Babel*, quam

quam Cyrus & Darius expugnarunt, & de qua seqv. v. 9. dicitur: *cecidit Babel*; quod verò superiori Dissertatione XVI. refutatum est ostensumque, objectum hujus Massa esse Jhudæam & Jerusalem, quam Babylonius Rex cum auxiliariis Persarum Medorumque copiis, devastavit ac desertum ex ea fecit, ob cujus adeo devastationem hîc prævisam tantopere Propheta juxta præced. v. 3. & 4. doluit, cum aliàs propter casum Babylonis exultare in Domino potuisset. Quod vero Rex ille Babylonius, incluso Assyrio antehac ejusdem terræ Domino, eodem *Leonis* titulo in scripturis communiter insigniatur, patebit conferenti loca Jerem. 4. 7. c. 49. 19. c. 50. 17. Nachum. 2. 12. &c. Ex quibus denuo colligitur, Massa hoc non esse Babylonicum, quia Leo, quem speculator proclamat, vel indicat se de specula videre, est Leo Babylonius, Jhudææ vastator famosus.

§. 10. Tandem (4) ad *factum* speculatoris, in priori hac revelationis parte, referimus *continuationem status in specula*, sive quod ille præsentetur ut *protestans de constanti statione sua jugique vigilantia* tam nocturna quam diurna, in *specula prophetica*, dum ita pergit: *super specula, Domine, ego sto jugiter per diem, & super custodia mea ego consisto totis noctibus*: q. d. non temerè leonem Babylonium proclamavi adesse: scio id accurate ex jugi statione in specula; nec stationem in specula deseram, sed de rerum tandem harum eventu, præcipuè Leonis illius s. Babelis tot gentium vastatricis, exitu sollicitus, in illa sto, diesque & noctes vigilo. Errat ergo *Sanctius*, qui verba hæc versus 8. cum Hieronymo (cujus verba supra §. 3. sunt citata) à superioribus separat & non speculatori sed Prophetæ tribuit, quasi Pro-

Uu 2

pheta

pheta declaret, se esse speculatorem illum: item alii, qui cum *Brentio* Babyloniorum hæc verba speculatorum esse contendunt. Nec sententiæ *B. Smidii*, hîc subscribimus, qui p. 183. hæc verba leoni tribuit clamanti, sive leo exercitus sit Perfarum & Medorum, sive Dux, quem paulò antè Is prætulit; quasi *Dux ille* (ceu verba ejus habent) *Dominum in specula & custodia sua invocet. b. e. in obsidione Babylonis congeratur, se jamdiu constitutum in specula & custodia sua, die nocteque laborasse in obsidione urbis, excubiis & laboribus fatigatum esse, simulq; optet, tandem successum & finem laborum dari per Babylonis expugnationem.* Hæc enim interpretatio & paraphrasis non tantum veræ textus cohærentiæ repugnat, quam præced. §. 7. laudavimus: sed & denuo falsâ hypothesi niritur, qua objectum hujus Massa statuitur *Babel*, quam Cyrus & Darius expugnarunt, de quo præced. §. dictum est.

§. II. Restat consideranda posterior *visionis* sive revelationis hujus *parvicula*, quæ *Babylonium* respicit rursus *vastandum & casurum*, postquam scilicet tot terras & speciatim *Jhudæam* vastaverat & desertum fecerat. In hac verò parte, speculatoris *factum* apparet geminum, nempe *visum & auditum*; vel præsentatur ille (1) denuo ut *videns* 2) ut *audiens*. Quid *viderit* verba indicant seqq. v. 9. וַיֵּרָא אִישׁ צִמְרֵי פְרִשִׁי i. e. *Ecce ille venit currus viri, biga eqvorum* (eqvorum) Scilicet cum speculator in priori revelationis parte juxta v. 8. *leonem* adesse proclamasset, porroque Dominum allocutus, eodem v. 8. continuationem stationis suæ & vigilantiam & sollicitudinem suam de futuro rerum eventu contestatus esset, ecce is ipse speculator prospicit currum viri, bigam eqvorum. Ubi quaeritur (1) an speculator illos iterum currus militares & par eqvorum viderit, jam antè v. 7. memoratos, ita ut hîc reiterata sit eorundum curruum & eqvorum visio, quasi currus isti & eqvites jam antè visi jam nunc impetum in *Babylonios*, vel potius, juxta nostram interpretationem, superiori dissertatione datam, in *Hierosolymitanos* facere sine visi? quæ sanè Tremelli est interpretatio. Sed nos quaestionem negamus: talis enim iteratio eorundem curruum

rum

ruum ulteriori huic visioni non quadrat, neque opus erat illam reiterari: quid? quod currus illi v. 7. visi ab his differunt: hi enim dicuntur *currus viri*, illi verò currus asini & cameli; illi etiam in visione jam præterita erant præsentati; hos verò speculator post visum & proclamatum leonem, & post intervenientes in specula dies noctesque totas (quas præced. v. 8. laudat) velut rem novam & in instanti præsentem se vidisse refert, proptereaque huic rei novæ notanter illud ecce præmittit. Proinde ceu præcedentes illi currus militares v. 7. memorati, fuerunt *Leonis Babylonici*, cum auxiliariis Perfarum & Medorum copiis, Judæam & Jeruschalem tunc vastaturi & desertum ex ea facturi (siquidem Massa hoc non Babylonicum sed Hierosolymitarum esse, in præced. Dissert. 16. ostensum, & in seq. Dissert. 17. de curribus istis v. 7. visis pluribus agitur) ita succedentes hi רכב אשׁוּר hoc est *currus viri*, post intervallum aliquot noctium visi, repræsentant currus militares *Cyri* Perfarum Medorumque Regis, septuaginta annos post contra Babel adventuri eamque expugnaturi: siquidem etiam vox illa sequens de *casu Babelis* audita, & eodem v. 9. relata, Persicis illius viri curribus satis quadrat. Quod vero nomen singulare רכב h. e. *currus* hic pro plurali רכבים adhibeatur, currusque intelligantur militares, ex aliis scripturæ locis patescit, vid. Exod. 14. v. 7. 9. 17. cap. 15. v. 1. 1. Sam. 13. 5. &c. & in Dissertatione sequenti ad v. 7. diducetur. Rectè ergo hic Hieronymus l. 5. Comment. in Jesa. p. 57. ad verba: *ecce iste currus &c.* scribit: *haud dubium, quin Cyrus indicetur*; quod verò is ipse etiam per currus, supra v. 7. speculatori præsentatos, eundem designari Regem Cyrum addit, in eo errat: per illos enim currus præced. v. 7. à speculatore indicatos, intelligi Babylonicos, Hierosolymam vastaturos, sequens dissertatio 18. ex præcedente dissert. 16. docebit. Quod præterea etiam Hieronymus l. c. ait, leonem (cujus ex præced. v. 8. meminimus, clamasse: *ecce iste venit currus viri*, vel uti hunc & præced. v. 7. Hieronymus, quamvis perperam, vertit: *ecce iste venit ascensor &c.* in eo quoque illum à coheræntia textus aberrare, ex illis quæ supra §. 7. ad v. 8. de coheræntia diximus, dispalescit. De reliquis etiam vocibus: צמר פרשים quæ præcedente etiam v. 7. leguntur, & vulgo redduntur: *par sive biga equitum*, vel potius *egvorum*, in seq. Dissertatione ad v. 7. pluribus agitur. Nos v. hic à *viso* speculatoris ad *auditum* proferre spatium exclusi tenemur.

§, 12. Sequitur ergo (2) *speculatoris auditum*. Quid vero audiverit, subsequētia docent membri secundi verba : ויען ויאמר נפלה : ויען ויאמר נפלה בכר וכר - פטילי אלהיה שבר לארץ : *Et respondit ac dixit : cecidit, cecidit Babel & omnia sculptilia Deorum ejus confregit in terra*. Ubi dubium movetur, an verba hæc : *cecidit Babel &c.* sint illius viri, cujus in præced. membro facta est mentio ; an verò speculatoris nostri ? *Forerius & B. Seb. Smid.* in Comment. p. 184. affirmat prius. Eodem Lutheri versio tendit. Similiter & *Hieronymus*, Comment. in *Jesai.* l. 6. p. 82. lit. D. docet, quod *Vir*, quem vocat *ascensorem Virum bigæ*, desideranti Prophetæ & verba ejus audire cupienti responderit & dixerit : *cecidit cecidit Babylon, totius orbis confusio*. Quem tamen Hieronymum miramur, verba hæc : *ecce iste venit ascensor vir bigæ* (ceu versio ejus habet) de *Cyro* quidem rectè exponere, l. c. nempe l. 5. Comment. p. 57. lit. E. Verum seq. l. 6. p. 82. lit. C. ad *Christum Salvatorem* nostrum trahere, dicendo, quod verbis : *ecce iste venit ascensor Vir bigæ*, Prophetæ significet, venire *Dominum Salvatorem. sedentem super bigam, & duobus equis, imò animantibus asino & camelo* (quorum præced. v. 7. mentio habetur, & de quibus seq. Dissertatione 18. speciatim agetur) *unum currum jungentem*. Sed *B. Varenius* negat prius de viro, & affirmat posterius de *speculatore*, ex seq. v. 8. prædicatorum videndi, attendendi, clamandi, v. 7. 8. Consentit *Corn. à Lapide*, cujus verba paulo post citantur. Nos quoque prius de viro negamus, quippe quem *Cyrum* ejusque exercitum supra diximus præsentari. Posterius etiam, quod scilicet vox de *casu Babelis* sit speculatoris, cum *B. Varenio* non simpliciter affirmamus, sed non nihil hinc ab illo dissentimus. Si quidem ex præmissis voci huic verbis : ויען ויאמר h. e. *Et respondit ac dixit*, colligimus, quod vox illa sit *responsi loco* à revelatione tanquam *decretum cælestis* Speculatori nostro, tantâ vigilantia (quam v. 8. contestatur, uti & sollicitudine attendenti & expectanti, quis rerum tandem harum eventus, vel quis *Babylonii Leonis* exitus esset futurus) reddita, adeoque ab ipso speculatore prius audita, & dein officii ergo Prophetæ nostro indicata. Nam verbum ויען *Et respondit*, præsupponit quæestionem vel desiderium, scilicet speculatoris jam laudatum ; quicquid hinc obvertant *Sanctius* in Comment. p. 211. & *Cornelius à Lap.* in Comment. p. 212. scribens ; *speculator Isaias respondit ultro ; nemo enim hæc eum interrogat. Sic sepe*

sæpe CHRISTUS dicitur respondisse i. e. dixisse, capisse loqui. Notum vero est, Christum nonnunquam ad cogitationes hominum & desideria cordis respondisse. Vid. Luc. 14. 3. 5. Matth. 9. 4. Ut v. hæcenus dicta magis clarescant, notandum est (a) quod in verbis: & respondit & dixit, subjectum *respondens* per Hebraismum, in scripturis frequentissimum, sit omissum & subintelligendum, scilicet DEUS; vel impersonaliter verba sint reddenda: quomodo & in seq. membro hujus noni versus verbum **רצו** i. e. *confregit* (in verbis: *Et omnia sculpeilia DEorum ejus confregit in terram*) subjectum *confringens* non legitur expressum, sed per eundem Hebraismum subintelligitur, scilicet hostis, vel DEUS per hostem; vel impersonaliter verba sunt exponenda h. m. *man wird alle Bilder ihrer Götter zu Boden schlagen* (zerbrechen) de quo Hebraismo sæpius in præcedentibus tam hujus quam primæ partis dissertationibus dictum est. Vid. imprimis Disp. XII. partis 1. §. 7. n. 4. Not. (β) quod h. l. concila sit oratio, in scripturis non infrequens, adeoque h. l. dicatur: *Et respondit ac dixit*, pro: *speculator porro renunciavit*, se audivisse responsum *coeleste*, quod dixit: *cecidit Babel* &c. qualis quoque oratio in proximè præced. v. 7. datur, ubi legitur: *Et vidit currum* &c. pro: *Et speculator statim renunciavit*, se videre currum. item præced. c. 20. 2. vid. Dissertatio præcedens 15. §. 5. Not. (γ) quod eadem oratio pervisionem etiam in Apoc. c. 18. v. 2. de *Babylone spiritali* (i. e. juxta interpretationem ipsius *Cornelii à Lap. Comm.* in *Jesai. h. l. p. 213.* & *Franc. Riberae*, ab eodem *ibid.* laudati, de *Roma*, quam dicit ad idosolatram in fine mundi redituram & devastandam) legatur à nuncio *coelesti* relata: *cecidit, cecidit Babylon* &c. quæ cum videatur huic nostræ tanquam typo conformata, omnino probabile est, hanc quoque vocem apud *Jesaiam*, uti illa *Apocalyptica*, nuncii esse *coelestis*, à *Speculatore* auditam & ab eodem *Propheta* relata.

§. 13. Tandem *usus loci* indicandus est, Nam *discimus* (1) à *Speculatore* nostro (qui *Propheta* renunciavit, se in specula prophetica currus & leonem videre, uti & *coeleste* responsum audire) quod existimandum non sit, *Prophetas* & viros *DEI* sanctos ab hominibus didicisse ea, quæ annunciarunt, aut solertiâ suâ prævidisse; sed evectos supra hominum sensus & *Spiritu* *DEI* actos esse, ut eminus hæc ex alta quasi specula intuerentur: unde & **וַיִּרְאוּ** h. e. *Videntes* merito sunt appellati 1. Sam. 9. 9. *Discimus* (2) officium *speculatorum*

torum Ecclesiasticorum esse, ut semper in excubiis sint & vigilentur, ut sint oculati & auriti i. e. ut circumspiciant & observent quasi in specula, non tantum attentè attentione multa & curatè, juxta loci nostri versum 6. sed & patienter, die & totis noctibus expectantes, quod colligitur ex v. 8. item ex Chabak, 2. 1. Si quid etiam viderint vel animadverterint, e. c. irruentes in Ecclesiam hestes vel falsas impostorum fratrumque falsorum doctrinas; vel calamitates, iræ DEI testes, propter peccata obvenientes; vel scandala ingruentia, protinus indicent & præmoneant, quod colligitur ex v. 6. m. 2. & traditur Ezech. 3. 17. c. 33. 7. sqq. Idem exempla speculatorum quoque profanorum docent, vid. 1 Sam. 14. 16. 17. 2 Sam. 13. 34. 35. & c. 18. 24. sqq. 2 Reg. 9. 17. 18. 20. idque alta & clara voce vel clamore faciant, quod colligitur ex v. 8. & 2 Sam. 18. 25. 26. Conf. Jer. 6. 17. Ezech. 33. 3. sqq. Deinde *monentur* (1) qui ad speculandum & vigilandum in Ecclesia sunt constituti, monentur exemplo Speculatoris nostri, ne quid in specula non accuratè visi, velut certò visum publicare & dicere audeant; imò ne quid visi in specula reticeant sive dicere non audeant. Qui contrà agunt, ab una parte sunt fures & falsi Prophetæ, quorum exemplum legimus in elencho Prophetarum, qui mentiebantur, se in arcano Jehovah stetisse Jer. 23. 18. ab altera verò parte sunt muti canes, non valentes latrare, Jesai. 56. 10. *Monentur* (2) omnes Christiani, ut ipsimet pro salute etiam sua vigilent, ac præeunte verbi divini lucerna eminus futura prospiciant, noctes atque dies in specula quasi stantes, eam quoque ob rationem vigilent, quia nesciunt diem horamque mortis suæ; nesciunt qua hora Dominus ad judicium sit venturus: ecce enim iste veniet sicut fur in nocte & horâ qua non putatur Matth. 24. 40. seq. Denique (3) *solatium* hinc fluit, quod DEUS ex summa misericordia erga homines lapsos & redemptos, per Christum Prophetam illum magnum, speculatores, Prophetas, Doctores & Pastores pro salute nostra vigilantes, videntes, attendentes, præmonentes, clamantes, noctes atque dies in specula stantes & omne consilium DEI exponentes, atque ita nos illuminantes, imò & solatio liberationis à Babelicis molitionibus nos erigentes, constituere hodiernum dignetur, cui adeo pro summa hac gratia sit gloria  
in secula seculorum,



# COROLLARIA RESPONDENTIS,

Ex publicis praelectionibus Dn. Praesidis super classica V. T. loca, speciatim Psal. 19. v. 9 desumpta.

1. Frustra genuini Aug. Confessionis socii accusantur à nonnullis, quasi non tantum doctrinam de illuminatione in scholis systematibus q̄ sua negligant, sed & ipsum illuminationis vocabulum tanquam suspectum & heterodoxum averfentur.
2. Qui docent, neminem per externum DEI verbum illuminari, nisi eidem verbo lumen Spiritus S. tanquam interna vox in subjecto illuminando immediatè superveniat, per fanaticorum vestigia ducuntur.
3. Etiam verbi divini Doctores & Praeones verè proprieq̄ loquendo homines illuminare, non negandum est.

Ad

Eximium planè, modestià, pietate & doctrina praestantissimum

**DN. RESP. MEINELVUM,**

Hactenus meum

In Collegiis Theol. disputatoriis tam super Formulam Concordiæ & controversias Syncretisticas, quàm super Augustanam Confess. & Thefes Pietisticas, Augustanæ Confess. non conformes, Auditorem, Resp. & Oppon. mirè industrium, jam quoque antè reditum in patriam publicitus

*De SPECULATORE jussu DEI à Jesaia constituto, & LEONE ab eodem proclamato, disputaturum.*

**D**um Speculatorem filis, MEINELVE, videntem  
Clamantemque: Leo (Rex Babylonis) adest!  
Applaudo, Speculatorum cœleste precatus

Lumen, & à JESU \* lumen opemque novam,

Tu quoque, sis JESU mihi lumen! jugiter ora,

Et verbum DOMINI tam reverenter habe,

Ut noctes illud pergas meditare diesque;

Sic Speculator munere dignus eris,

E specula referens mox Auditoribus omne

Consillium, vitæ \* mel oleumque DEI.

\* Meinelvum:

Lumen JESU,

Mel vivens.

LMQ.

**A. D. HABICHHORST, D.**

Clarif.



Clariss. DN. RESPONDENTI.

**T**U quoque, MEINELVI, studiis superaddere pondus  
Et quæ seis animo, prodere voce paras.  
Sic labor iste Tibi cælo benedictus ab alto  
Et pariat grandes utilitatis opes.

*Quo voto diligentissimam scholarum mearum privatarum  
auditorum, excitato ingenio ad solidam re-  
ram sacrarum scientiam grassantem, lingua ma-  
nuque prosequitur*

**JO. FECHT, D. P. P.**

Const. Duc. Ass. & Distr. Rostoh. Superint.

**C**eu studium, *Meinelve*, Tuum laudoque proboque:  
Sic precor, ut DOMINI mox *speculator* oves.

*Affectus contestandi ergo scrib.*

**J. N. QVISTORPIUS, D. P. P.**

ad D. Nicol. Pastor & Min. Director.

**D**um patriam repetens, inqvendo dulce Roletum,  
Pulpita docta prius te resonare facis,  
Et quis Jeschajæ fuerit *Speculator* & altè  
*Clamaris? Leo num, seu vigil ipse? doces,*  
Opto, brevi Cathedra Domini *speculator* ab alta,  
Sis, MEINELVE, Patri deliciarumque tuis.

*Sic animicus gratulatur, quem anima  
Curatorem tibi elegisti,*

**JOH. MAURICIUS POLTZIUS,**

S. S. Th. & Ph. D. ad D. Johan. & S. Spir. Past.

**W**ie strahlt ihnd in Dier ein heller Zugend-Schein/  
Weil dich Minerva selbst wil auff die Wache schicken;  
Soß nun dein edler Fleiß ein muntter Wächter sein/  
So magstu auff der Sur den Glückstern bald erblicken.

*Mit so wenigen doch wolgemeinten gratulieete auß gebührender  
Freundschaft seinem wehrgeßhättem Landsmann*

**P. S. CRAAZ, S. S. Th. Stud.**

\* \*









# COROLLARIA RESPONDI

Ex publicis prælectionibus Dn. Praesidis super classica  
ciatim Psal. 19. v. 9 desumpta.

1. Frustra genuini Aug. Confessionis socii accusantur à non tantum doctrinam de illuminatione in scholis systematigligant, sed & ipsum illuminationis vocabulum tanquam herodoxum avertentur.
2. Qui docent, neminem per externum DEI verbum illumini verbo lumen Spiritus S. tanquam interna vox in sub immediatè superveniat, per fanaticorum vestigia ducuntur.
3. Etiam verbi divini Doctores & Praeones verè proprieque nes illuminare, non negandum est.

Ad

Eximium planè, modestià, pietate & doctrina præsta

## DN. RESP. MEINELVU

Hactenus meum

In Collegiis Theol. disputatoriis tam super For cordiæ & controversias Syncretisticas, quàm super Au fess. & Theles Pietisticas, Augustinæ Confess. non con rem, Resp. & Oppon. mirè industrium, jam quo redirum in patriam publicitus

De SPECULATORE jussu DEI à Jesaia constitutus  
ab eodem proclamato, disputaturum.

**D**um Speculatorem sistis, MEINELVE, videntem  
Clamantemque: Leo (Rex Babylonis) adest!  
Applaudo, Speculatorum cœleste precatu

Lumen, & à JESU \* lumen opemque novam,  
Tu quoque, sis JESU mihi lumen! jugiter ora,  
Et verbum DOMINI tam reverenter habe,  
Ut noctes illud pergas meditare diesque;  
Sic Speculato munere dignus eris,  
E specula referens mox Auditoribus omne  
Consilium, vita \* mel oleumque DEI.

\* Meinelvus:  
Lumen JESU,  
Mel vivens.

A. D. HABICHA

